



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilium Parisiense XXII. Episcoporum, Qvo Philippvs Henrici regis
Francorum filius titulo regio condecoratur, & solenni ritu coronatur, anno
MLIX. tempore Nicolai papae II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO CHRISTI 1059. tur a simoniaco prouochi, nihil penitus deberent ex ea promotione lucra-
ri, & sic ministrandi iura deponerent, tamquam si hac nullatenus per-
cepissent. Ita ibi.

Præcipuum illum graffatorum, qui Anglis spolium intulerat, Gerardum comitem Galeriz, in hac eadem Synodo excommunicatum affirmat Petrus Damiani in defensione Romanæ ecclesiæ aduersus regium Aduocatum, quam infra sub Alexandro positam inuenies.

CONCILIVM AMALPHIÆ,
IN APVLIA CELEBRATVM ANNO MLIX.
tempore Nicolai papæ II.

NOTA.

^a *Concilium.*] Amalphia vrbs est Apuliae, in qua, teste Leone Ostien- Locus &
fi, Nicolaus papa hanc Synodus celebrauit, & Tranensem episco- acta Con-
pum, teste Petro Damiani in epistola ad sanctæ Romanæ ecclæ- ciliæ.
esiæ cardinales, throno depositus. Probabile est eumdem pontifi-
cem in hac Synodo duo illa iuramenta fidelitatis & soluendi anni
census, quæ ex Vaticano codice recitantur apud Baronium, a Nort-
mannis exegisse.

CONCILIVM PARISIENSE

XXII. EPISCOPORVM, QVO PHILIPPVS
Henrici regis Francorum filius titulo regio condecoratur, & solenni ritu coronatur, anno MLIX. tempo-
re Nicolai papæ II.

<sup>*quinq-
uo-
gesi-
mo no-
no,</sup> ANNO millesimo * sexagesimo, indictione XII. Henr-
ico regnante trigesimosecundo, & quarto Kalendas
Iunii, in die pentecostes, Philippus rex hoc ordine in mai-
ori ecclesia ante altare sanctæ Mariæ, a venerabili archi-
episcopo Rhemensi consecratus est. Inchoata Missa, ante-
quam epistola legeretur, dominus archiepiscopus vertit
se ad eum, & exposuit ei fidem catholicam, sciscitans ab
eo, vtrum hanc crederet & defendere vellet. Quo an-
nuente, delata est eius professio: quam accipiens ipse le-
git, dum adhuc septennis esset, eique subscripsit. Erat au-
tem professio eius hæc:

Ego Philippus, Deo propitiante, mox futurus rex Fran-

Ffff iij

598 NICOLAVS C. IACCITANVM. HENRICVS IV. IMP.
P. II. RAMIRVS R. ARAGONIAE.

corum, in die ordinationis meæ promitto coram Deo & sanctis eius, quod vnicuique de vobis mihi commissis canonum priuilegium, & debitam legem, atque iustitiam conseruabo, defensionem, adiuuante Domino, quantum potero exhibeo, sicut rex in suo regno vnicuique episcopo & ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet: populo quoque vobis credito me dispensationem legum in suo iure consistentem nostra auctoritate concessurum. Qua perfecta, posuit eam in manus archiepiscopi: deinde accipiens archiepiscopus baculum sancti Remigii, differuit quiete & pacifice, quomodo ad eum pertineret electio regis, & consecratio, ex quo sanctus Remigius Ludouicum baptizauit & consecrauit. Differuit etiam, quomodo per illum baculum hanc consecrandi potestatem, & totum Galliæ principatum Hormisdas papa sancto dederit Remigio, & quomodo Victor papa sibi & ecclesiæ suæ concesserit. Tunc annuente patre ipsius Henrico, elegit eum in regem post eum.

CONCILIVM IACCITANVM,
IN HISPANIA CELEBRATVM ANNO MLX.
tempore Nicolai papæ II.

N O T A.

Locus &
episcopi
huius Con-
cili.

Decreta.

* *Concilium.*] Hæc Synodus celebrata est Iaccæ in Hispania, in quam Oscæ sedes translata fuit. Interfuerunt ei Austindus archiepiscopus Auxitanus, Sancius episcopus Aragonius, Paternus Cæsar Augustanus, Arnulphus Rotensis, Gometius Calaguritanus, Vvilimus Vrgelitanus, Heraclius Bigerrinensis, Stephanus Olorensis, & Ioannes Leontinensis. Sacri ritus, qui temporum iniuria vel depravati vel aboliti erant, in eo sunt restituti, disciplina ecclesiastica refarcita, moresque ad normam sacerorum Canonum reuocati. Insuper ne alio quam Romano more sacrae preces in ecclesia persoluerentur, & vt is qui Oscæ erat episcopatus in Iaccam transferretur, in eodem Conilio statutum fuit. Hæc summatim Baronius anno 1060. numero 13.